k *Quia ſcilicet accuſatione ſuperueniente procedatur.*) Adde, † quod ſi
5 inquiſitio fuerit formata per unum iudicem, & accuſatio producatur corā alio iudice, tunc ſilet inquiſitio, quia electio iudicum eſt actoris, ita tradit Angel. de Vbald. in repet. l. ſi uacantia, num. 221. C. de bon. uacant. libro 10. *Baiard.*

l *Sed certè hodie.*) Ad-
6 de, † quod idem ſeruatur etiam de iure canonico, quia iudex poteſt inquirere non monito offenſo ad accuſandum, ut ait Arno. in Commentar. 41. *Baiar.*

uerſo ſi pars ab initio querelas, non propterea ceſſat iudex ex officio accipere informationes, & examinare teſtes etiam non productos, neque ſubminiſtratos a parte; Adeò quod modus procedendi, qui hodiernis temporibus obſeruatur, eſt quidam modus, in quo poteſt concurrere mixtura, ſeu cumulatio vtriuſque remedij, ſcilicet ex officio, & ad inſtantiam partis, & vnum ab altero non impeditur; quinimò multoties concurrunt denunciatio inquiſitio, et accuſatiò in eodem proceſſu, vt infra etiam dicemus. Et hic modus procedendi a conſuetudine introductus, conuenit opin. quam tenebat Nic. de Matarel. [k] *quod ſcilicet accuſatione ſuperueniente procedatur ſuper vtroque iudicio inquiſitionis, & accuſationis, & ſuper vtroque ſimul vnica tantum ſententia feratur, de qua opin. mentionem facit Aretin. licet eam non ſequatur, in d. capitulo qualiter, & quando in prin. poſt num. 14. verſic. ſecunda fuit referent Butr. ibi, poſt num. 13. dicentem, quod hæc opin. eſſet approbanda per Principes, & Pontifices, quia ſecundum eam ceſſant omnia inconuenientia. Nam ſi compareat accuſator, qui ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequatur, non excludetur a preſecutione ſua iniuriæ pariter etiā procedente iudice ſuper inquiſitionis, ceſſabit ſuſpicio colluſionis accuſatoris, & ſi ipſe colludet, non colludet iudex.*

8 *Et conſequenter hodie ſuperflua eſt etiam illa practica, quam tradit Alexand. in Apoſtil. ad Bar. in d. l. 2. §. ſi publico, poſt num. 2. in verbo Modum inquiſitionis, ff. de adult. quod ſcilicet iudex omninò ſtatuat parti offenſæ terminum ad accuſandum, quo elapſo poterit deinde, vbi pars non accuſet, ex officio procedere: neque poteris poſtea pars, etiamſi velit accuſare, impedire proceſſum ipſius iudicis inquirentis, quod etiam practicari in regno Caſtellæ a peritis iudicibus atteſtatur Anton. Gom. capitulo primo delictorum num. 17. Eſt enim de iure indubitatum, quòd poteſt ſtatui parti terminus ad accuſandum, & quòd vbi in eo termino non accuſauerit, non eſt poſteà audienda, ſecundum Bartol. in leg. Papinianus. §. 1. num. 2. ff. de inoffi. teſta. cuius opin. communiter tenetur, vt dicit Imol. in cap. tuæ, circa fin. de procu. Et hanc practicam, quam tradit Alexand. ſequūtur communiter Doctores, vt ait Blan. in pract. crim. fol. 6. numero 41.* [l] *Sed certè hodie, cum ex dicta generali conſuetudine poſſit iudex in omni caſu inquirere; non eſt opus hæc cautela, ex quo non poteſt timere, ne per ſuperuenientiam accuſatoris inquiſitio impediatur. Et ita ſe aliquando obtinuiſſe in facto atteſtatur Alber. in d. leg. ea quidem. poſt num. 8. verſicul. nunc aliquas. Et ideò licet forte de iure iudex, qui antequam formet inquiſitionem, non ſtatuit terminum iniuriato ad accuſandum, teneatur in ſyndicatu, hoc tamen in practica non ſeruatur, vt atteſtatur Amad. de ſyndicatu, poſt num. 32. quem refert Boſſ. in tit. de inquiſitione num. 68. & titul. de citat. num. 41.*

9 *Ceſſat pariter cautela, quam tradit Cæpolla caut. 25. ad differendum proceſſum inquiſitionis, quòd ſcilicet compareat offenſus, & petat ſibi ſtatui terminum competentem ad accuſandum, quo termino durante, iudex non poteſt ex officio procedere, & illam dicit eſſe notabilem Blanc. in loco proximè allega. num. 43. ſubdens, quòd Doctores eam communiter ſequuntur. Ceſſat autem (vt dixi) quia cùm ex ſupradicta conſuetudine introductum ſit, vt vnus modus procedendi alterum non impediat, non debet Iudex expectando accuſatorem ab inquirendo, & procedendo deſiſtere.*

10 *Superflua etiam redditur alia practica, quam ponit Bartol. in l. inter accuſatorem, numero 8. ff. de public. iud. ad euitandum, nè accuſatio impediat inquiſitionem, quod ſcilicet facta, & producta accuſatione, Iudex faciat ſibi dari licentiam ab accuſatore, quod poſſit procedere, ſubdens hanc eſſe conſuetudinem Italiæ: quem refert Aret. in capitulo licet, numero 20. de accuſat. & Afflictus in 2. parte conſtitut. regni, rubr. 1. poſt num. 28. relatus, & ipſe per Carauitam ſuper ritu 21. magnæ Curiæ, poſt num. 2. Hoc idem atteſtatur tenere omnes Doctores. Bald. in l. ſi accuſatoribus, numer. 4. C. de accuſat. vbi etiam dicit, quod cauti aſſeſſores faciunt ſcribi, quando pars dat eis licentiam expediendi proceſſum, & cap. quem refert Anan. in dicto capitulo licet, numero ſexto. Sed certè ſtante prædicta conſuetudine, fruſtra peteret Iudex licentiam à parte eius, quod ab ipſa conſuetudine ei conceditur. Et ita hodie iſtam practicam Bartol. non obſeruari de ſtylo, neque de conſuetudine atteſtatur Blanc. in dict. pract. crim. fol. 11. numer. 25. Poteſt enim Iudex ipſe ad vindictam publicam, ex officio proſequi iam cœptam accuſationem, vel etiam nouum proceſſum formare, & ita practicatur, vt dicit Ang. de malef. in verb. Comparuerunt, & negauerunt totum, numer. 20. quem refert Boſſius in tit. de accuſ. numero 14. Vide, quæ dixi in hoc propoſito, infra q. 45. verſ. facta autem, & quæſt. 51. verſ. ſed quid ſi accuſator, & quæſt. 58. circa princ. Benè verum eſt, quod vbi non vigeret talis conſuetudo, ſtandū eſſet in meris terminis iuris communis, & haberem locum tradita per Doctores, in locis ſuperius allegatis.*

QVÆSTIO IV.

In primis conſtare debere delictum commiſſum fuiſſe.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Iudici ante omnia conſtare debet de delicto.*
2 *Et quomodo dicatur conſtare de delicto ad effectum procedendi.*
3 *Et quomodo de deiicto facti tranſeuntis.*
4 *Et quomodo de delicto facti permanentis.*
5 *Et quid ſi dubitatur an delictum interuenerit.*

Ex Additionibus.

1 *Iudex poteſt capere informationem delicti poſt cōfeſſionem.*
2 *Iudici an ſatis conſtet de delicto ex querelis aliorum criminum.*
3 *Iudici quando, & quomodo debeat conſtare de delicto antequam procedat ad inquiſitionem, capturam, torturam, vel condemnationem, remiſſiue.*
4 *Et ſufficit conſtare per famam ſi non reperiatur corpus occiſi*
4 *In delictis occultis proceditur ex coniecturis.*
5 *Et in delicto facti permanentis non ſufficeret denūciatio officialis.*
5 *Princeps procedit ſecundum conſcientiam.*
6 *Et quid ſi ignoretur nomen delinquentis.*
7 *Et quomodo in furto, vel ſtupro dicatur conſtare de delicto.*
8 *Obſtetrices poſſunt cogi, & debent deponere cum iuramento*
9 *Homo repertus mortuus an præſumatur occiſus, vel ſua morte obijſſe.*
Iudex poteſt exhumari facere cadauer pro facienda recognitione vulnerum, vel aliarum percuſſionum ſub num. 4.

QVÆST. IV.

Dictum [a] eſt quibus modis criminaliter procedi poſſit: Sciendum eſt autem, quod in omnem caſum nunquam debet iudex procedere ad aliquē actum, [b] niſi priùs illi conſtet delictum ipſum fuiſſe commiſſum. Et ita ſemper faciunt practici Aſſeſſores, vt dicit Gratus inter conſil. crim. diuerſorum, conſilio 99. poſt num. 7. verſic. Secundò etiam, libro 1. Eſt enim vulgaris, & [c] trita concluſio, quòd ante omnia debet iudici conſtare de delicto, quæ colligitur ex text. in vulgata l. 1. [d] §. Item illud. ff. ad Syll. quem tex. ſciunt omnes, vt dicit Boſſ. in tit. de delicto, n. 2. licet re uera ille tex. loquatur de tortura, vt ſcilicet reus non ſubijciatur torturæ, niſi prius conſtet delictū fuiſſe commiſſum. Et hoc adeò verum eſt, quòd etiamſi reus confiteretur delictum aliquod commiſiſſe, non poteſt condemnari, niſi de ipſo delicto aliter quam ex eius confeſſione appareat, vt di-

ADDITIONES

Ad Quæſt. IV.

a *Dictum eſt.*) Farin. tit. de inquiſit. q. 2. vol. 1. *Roſ.*
Dictum eſt quibus modis criminaliter.) Iudici ante omnia de delicto cōſtare debet, Plot. in l. ſi quando, nu. 159. 760. & 762.

1 Adde, † quod iudex, poteſt etiā ſe informare de delicto poſt confeſſionē, Aret. in verbo. Et veſtem cęleſtē, verſ. quid ſi quis confiteretur, quando confitetur alia delicta. Et in hac materia, an dicatur ſatis conſtare, quando in
2 actis † conſtat de querelis aliorum furtorū, ſiue delictorum commiſſorum, vide Gramm. deciſ. 48. & ad capturam poteſt deueniri, antequam conſtet de crimine, capit. ſi clericus, de ſentent. excomm. in 6. & Paris de Put. in verb. an Iudex, qui pro debito, num. 12. Et
3 quando poſſit deueniri † ad torturam, antequam conſtet de corpore delicti, vide Gram. voto 2. & Gabr. commun. concl. lib. 7. concl. 17. vbi ponit multas ampliat. & limit. Et quòd malefactor poſſit capi etiam, antequam conſtet de delicto, nè aufugiat, tenet Blanc. in tract. de indic. num. 8. Sed de prædictis quando, & quomodo Iudici conſtare debeat de corpore delicti, antequàm procedat ad inquiſitionem, capturam, ſeu condemnationem, nouiſſimè per Farin q. crim. in q. 2.

4 Item adde, quòd ſi non reperitur corpus occiſi, quia fortè fuerit combuſtum, uel proiectum in mare, uel in flumen, quod ſufficiat conſtare per famam, Bald. in l. cum probatio. ff. de probat. & Auguſt. ad Angel. de malef. in uerb. fama publica, uerſ. 12. num. 108. & Marſ. conſ. 8. in princ. verſ. quinimò adeò, & ſi cadauer fuiſſet ſepultum, poterit iudex illud exhumari facere, Maran. in tit. de inquiſit. num. 18. in pract. in tit. de inſpectione occiſi, c. 75. nu. 1. Bald. in d. l. ſi quis teſtib. in fi. C. de teſtib. Clar. infr. in q. 55. verſ. quomodo autem, Far. q. 2. nu. 6. & Pariſ. de ſynd. in uerb. confeſſio, n. 6. vbi atteſtatur ſe vidiſſe huiuſmodi exhumationes in pluribus locis, & præſertim in urbe. *Baiard.*

b *Niſi prius conſtet illi.*) Et adeò uerum eſt, in primis cōſtare debere, de delicto, antequam præſumatur delictū, quòd aliàs non cōſtito de corpore occiſi Romuli, potius illum Deū factum crediderunt Romani, quàm delictum in eo præſumpſerint, vt de ipſo Romulo, nec non, & de Scipione Aphricano loquens, cuius Romuli corpus uiſitari nequiuit, in uita Romuli, per hæc uerba loquutus eſt Plutarcus; uerum inquit, alij opinantur eum, quod ualerudinarius foret, ſua ſponte extinctum, alij ueneno. Quidam eius inimicos, cum noctu irrupiſſent, meatus animæ occluſiſſe; At qui Scipio mortuus palam in oculis omnium conſpectus iacuit, uiſumque eius corpus ſuſpicandi omnibus, ac dijudicandi facultatem attulit, Romulo autē ſubitò erepto, nec pars corporis, nec ueſtium reliquię ullę repertæ; ſic & D. Auguſtinus de Ciuitat. Dei libro decimo octauo, capitulo uigeſimo quarto. mortuum Romulum, cū & ipſe nuſquam comparuiſſe in Deos, quod, & uulgo notiſſimum eſt, retulere Romani. Iterum eodem libro 18. cap. 19. Sed Æneam, quoniam quando mortuus eſt, nō comparuit Deum ſibi fecerunt Latini. Adde infr. quæſtione 55. uerſ. quomodo autem, & uerſi. poteſt etiam, & quæſtio 66. uerſiculo primo, ubi dicitur ſatis conſtare de futuro, ſi Dominus conqueratur, ſi appareat ſeruum aufugiſſe, ſi appareat fractura, & ſimilia, & quòd ualeat conſequentia, ſeruus ego fur, dixit Plot. in leg. ſi quando, ſub nnmero decimoquarto, C. unde ui: At quod in primis de furto conſtare debeat Crauet. cōſilio 244. in principio, & in hoc propoſito, dic, quòd quædam ſunt delicta conſiderabilia de per ſe ſeorſum à perſona delinquentium, uidelicet facti permanentis, etiam quòd ignoretur perſona delinquentis, ut homicidium. Quædam ſunt delicta, quæ de per ſe conſiderari poſſunt ſtante perſonæ incertitudine, & de his dic, ut per Crauettam, conſilio ducenteſimo quadrageſimoſeptimo, numero tertio, uerſiculo Secundo reſpondeo, quod melius iudicio meo, dixi ſupra ad §. homicidium, uerſ. ex propoſito. *Drogh.*

Niſi prius illi conſtet.) Adde, quod de delicto conſtare debet plenè. Adeò quod non ſufficeret probari delictum per coniecturas, ut de omnibus tradit Crauetta conſilio 244. columna prima.

* 4 Scias tamen, quod in delictis † occultis proceditur ex cōiecturis, ſeu præſumptionibus, & indicijs, & alijs leuioribus probationibus etiam ad condemnandum, ut habetur plenè per Oſaſcum deciſione decima ſeptima, ſub numero ſecundo. *Giach.*

c *Trita concluſio.*) Videndus Dominus Farinacius, Quæſtione trigeſima octaua, uolumine ſecundo, numero ſecundo. *R. ſ.*

d *§. Item illud, ff. ad Syllan.*) Adde, quod Crauett. ad id etiam allegat iſtum text. & alios etiā, alioſq. pariter Doct.